

nihil autem concludit de violentiis, de quibus est quaestio; praeterquam quod non constat, violentiam Diabolo permissam non fuisse in castigationem, sive remedium alicujus occulti peccati.

Arg. 9. In historiis fidedignis legimus, mulieres virtuosas fuisse a Dæmonibus incubis oppressas, ipsis non consentientibus, & absque offuscatione mentis: ergo, &c. Prob. ant. ex Surio in Vita B. Catharinae Virginis, filiae Sanctae Birgittae, die 12. Martij, ubi dicit, Foeminam virtuosam Neapolitanam a Dæmone fuisse cognitam turpiter. Et Deltrius, lib. disquisit. magic. quaest. 11. adducit ex Niderio casum de Virgine honesta violenter & contra suam voluntatem a Dæmone oppressa. Item in Hist. Cister. sive in Lil. Cister. in Vita B. Ascelinae legimus simile: ergo, &c.

Sur. & alij.

S. Aug. ubi cit.

Resp. ex Magno Augustino, lib. 1. de Civit. Dei, cap. 28. per tot. ubi super casum, quod hostes militares oppresserant violenter nonnullas virgines castas, & virtuosas, ipsis non consentientibus, dicit: *Incomprehensibilia sunt iudicia Dei. Forsan ipse superbia laborabant, & tuebant, &c.* Ex quo videtur, has Divinas permissiones ad id tendere, ut majora mala vitentur, aut occultum malum curetur. *Hoc maxime nota.* Aliud est, Deum permittere Diabolo huiusmodi

violentias in castigationem & remedium; aliud autem valde diversum est, eas permittere ad exercitium altissimae perfectionis, nimirum, ad transformationem, & unionem mysticam animae cum Deo.

Replicabis. Tales violentiae Diaboli solum occasionaliter conducunt ad exercitium altissimae perfectionis, scilicet, ad humiliationem, transformationem, &c. sed in hoc sensu nullum ex eis sequitur inconveniens: ergo, &c. Prob. min. Quia occasionaliter ex permissione peccati sequitur humiliatio creaturae, & eius vera conversio, nullum sequitur inconveniens ex permissione peccati; sed ex permissione talium violentiarum sequitur humiliatio magna creaturae, & quod ferventius tendat in Deum, & hoc absque peccato, quoniam sine consensu non est peccatum: ergo, &c.

Resp. quod haec instantia nostrum confirmat intentum. Nam sicut permissio peccati conducit occasionaliter ad conversionem & curationem peccatoris, iuxta illud Sancti Hieronymi: *Morbus occulta supervia curatur permissione turpidinis manifesta*: sic Divina permissio de talibus Diaboli violentiis supponit animam inquinatam. Quare non quia anima proficit, quin potius quia deficit, permittit Deus Diabolo nonnulla ex iis, quae supradicta sunt. Et violentiae Diaboli turpes,

Molin. ubi sup.

S. Hier. ap. Lob.

pes, si dantur, non sunt in creaturis perfectis, sed infectis; non quia proficit creatura, sed quia deficit.

Arg. 10. Divisio Obsessionis in eam, quae fit ex maleficio, & in eam quae datur a Deo in exercitium, communissima est; sed non aliter bene intelligi potest, nisi dicatur, Obsessionem per exercitium conducere ad majorem animae perfectionem, transformationem, & Unionem mysticam: ergo, &c. Resp. neg. min quoniam lato modo, etiam quae datur ad curationem animae infectae, dicuntur Obsessiones ad exercitium, quatenus non procedunt ex maleficio, & ordinantur in remedium animae. Vel dicendum, Obsessiones (*seclusis violentiis ad opera ex se mala & prohibita*) quae ad errorem, & corporis tormentum ordinantur a Deo, esse per exercitium majoris perfectionis. Huiusmodi Obsessionibus exercitantur saepe numero sancti Dei.

Inf. ad arg. 3

Ex Ap. Revel.

Arg. 11. Ex Aponte, sup. cap. 8 Matth. digress. 2. ubi refert de quadam anima perfecta, quae Dominum interrogavit, cur tot Obsessiones his temporibus apparerent. Cui, ait, respondit Dominus: *Filia, in primitivâ Ecclesiâ multas mihi lucratus sum animas per martyrium sed totidem amisi in animabus eas martyrizantium: Nunc autem volo animas salvas facere, & tyrannos non amittere; ideo licentiam do Dæmonibus,*

ut eas torquendo martyres faciant ergo permissio data est Diabolo: ad violentias supra relatas, quibus animae cruciantur.

Resp. 1. Revelationem allatam non esse certam. Resp. 2. Revelatione concessa, non loqui de Obsessionibus & arreptionibus, quibus per Diaboli violentiam opera fiunt mala & prohibita. De his loquitur propositio damnata 4. Molinosi Resp. 3. loqui de Obsessionibus, quibus patientes creaturae torquentur in corpore, a partibus horrendis, & conquisitionibus tyrannicis. Resp. 4. Etiam intelligi posse de Obsessionibus, quibus per vehementissimas tentationes torquentur animae fideles, de quibus ait S. Ambrosius: *Non enim ideo laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur; sed quia ipsa martyres faciat.*

S. Amb. l. 1. de Virgin.

Valde nota, quod novissimè diebus istis expurgatus est Aponte a Sacro & Supremo Hispaniarum Fidei Tribunali.

Arg. 12. Ex Revelationibus Sanctae Birgittae, lib. 1. cap. 4. ibi: *Aliqui imputant mihi, &c.* Et cap. 23. ibi: *Alterius corpus vexabat Diabolus, &c.* Et cap. 36. ibi: *Tres sunt status hominum, &c.* quibus in locis aperte dicitur, nonnullas personas Sanctas involuntariis pollutionibus torqueri, & exerceri, Diabolo suggerente, imò & humores corporis commovente: ergo Diaboli violentiae, etiam ad turpia, locum habent

S. Birg. lib. 1.

vent ad purgationem mysticam.
 Resp. 1. quod in nulla ex citatis Revelationibus, quas ad litteram vidi, loquitur de violentiis Diaboli ad actus ex se malos, & turpes. Resp. 2. motiones humorum in corporibus humanis non esse computandas inter violentias turpes, de quibus loquimur, etiam si pollutiones involuntariae sequantur ex eis cum ingenti animarum sanctarum mortificatione, & tormento; quoniam revera tales humorum motiones non nimis excedunt regularem Diaboli tentandi modum, medijs allicientijs & suasionibus absque violentia manuum, aut membrorum corporis.

Vt autem constet, quantum istae Divinae Revelationes Sanctae Birgittae distent à turpibus Diaboli violentijs in animabus Sanctis, videantur lib. 1. cap. 4. post med. ubi ait Dominus: *Aliqui imputant mihi falsam culpam, qui dicunt, quod illi qui mihi serviunt ex nimia devotione, dicuntur insanire, & habere Daemonium. Ipsi similem me faciunt homini, qui castam habens uxorem, & in virum suum bene confidentem, supponit eam adultero. Nunc nota. Talis ergo essem (dicit Dominus) si hominem justum, & benevolentem ad me charitatis animum, dimitterem Daemoni tradi.* Paulo post loquitur de Diabolo; qui accipit potestatem super carnem bonorum hominum, nihil autem dicit de violentijs turpibus.

S. Birg
 lib. 1.
 cap. 4.

Arg. 13. Ex Sancta Catharina Senente; Epist. 61. ad Monachum Carthusianum Gorgonensem, ubi ait: *Ex propria voluntate nascitur culpa, & propria voluntas occiditur ab obedientia. Vnde quamvis caro Diaboli suggestionibus effrenetur motibus inordinatis, dummodo voluntas non consentiat non peccat, quin potius adauget meritum & perfectionem, iuxta resistentiam gradum: ergo Diaboli violentiae turpes, non consentiente creatura, adauget perfectionem, & eleuant ad transformationem, &c.*

Resp. nihil argumentum concludere, quoniam Sancta Catharina loquitur de motibus carnis inordinatis, qui naturaliter ex carne, vel ex Diabolo procedunt modo regulari, non autem de violentijs turpibus & obscenis manibus proprijs.

Arg. 14. Ex Chrysof. Henrici. tom. 1. Lil. Cister. lib. 1. dist. 3. cap. 28. & 29. ubi de duabus foeculis virtuosius refert, fuisse violenter oppressas à Dæmone: ergo Deus Diabolo permittit; quod violentias turpes inferat, &c. Resp. sicut ad arg. 9. Historicis consimilibus pleni sunt libri. Apud ipsum Henrici. loco citato satis indicatur eadem solutio in illis verbis: *Occulto Dei iudicio coepit ab impudico Dæmone vexari: quae verba consonant cum illis Magni Augustini in casu simili, juxta solut. ad arg. 9.*

Arg. 15. Ex duobus agentibus,

S. Cath
 Senent.

S. Toan
 Chryf.

bus, vno pravo & malitioso, altero iusto & virtuoso, malum factum non est tribuendum iusto, sed pravo; sed ad malum factum à creatura virtuosa sunt duo agentes, scilicet Diabolus & creatura: ergo si de iusto desiderio creaturae nobis constat, quidquid in ea malum videatur, non est tribuendum creaturae, sed Diabolo.

Confirm. arg. ex Decreto Supremae Inquisitionis apud Farinacium, ubi praecipitur, ne recipiatur testimonium ab Eurgumenis: ergo signum est, quod obsessorum dicta & facta tribuantur Diabolo, & non creaturae. Vnde pariter deduces, operationes obsessorum, non cadere sub humano iudicio, nec pertinere ad Sacrum Tribunal Sanctae Inquisitionis.

Resp. quod si malum videtur in creatura (etiam virtuosa) non est Diabolo tribuendum, sed creaturae, dum positivè non constet, à Diabolo fuisse factum. Ad quod notabis, quod Obsessio, & violentia Diaboli difficillimè probatur; nam ex signis innumeris tria principaliter convincunt, scilicet, *vires supra naturam, loqui linguam ignotam, & occulta propalare.*

Dicendum ergo, omnia delicta & crimina, quae videntur fieri à creatura, esse creaturae tribuenda, & punienda, nisi alias positivè probetur, à violentia Diaboli processisse: *Hoc est maximè*

Hec no
 tabis.

notandum. Et onus probandi, non à creatura, sed à Diabolo processisse, non incumbit Iudici, sed ipsi creaturae, vel eius Advocato. Quantum verò difficillis appareat positiva Obsessionis, & violentiae Diaboli probatio, satis videbitur apud eruditum Doctorem Franciscum Bayle, actualem Cathedricum Medicum Tolosae Gallicanae, tom. Opusculorum, Tolosae impresso anno 1701. Opusc. 7. cuius titulus est: *Informatio circa quasdam mulieres, quae à Dæmone credebantur obsessae: & omnibus ritè pensatis, decisum est, nullatenus esse probatum, vel incantationem, vel possessionem, vel obsessionem Diaboli reperiri in eis.*

Hoc insuper contrariorum argumentum, quod saepe saepius ab eis audiui repetitum, retorquetur sic: Ex duobus agentibus, vno pravo, & altero iusto, malum factum non est tribuendum per vos iusto, sed probo: ergo ex duobus agentibus, vno pravo, & altero iusto, bonum factum non est tribuendum pravo, sed iusto: ergo bona opera creaturae infectae, quae est prava, non sunt tribuenda ipsi creaturae, sed totaliter tribuenda sunt Divinae gratiae, quae est bona; sed hic est error Calvinistarum dicentium, voluntatem humanam nihil omnino agere in operibus bonis, & solum passivè se habere; quod anathematizat Tridentinum

Bayle
 Opusc.
 cit. 7.
 fol. 379.

Mun
 de Grat
 disp. 52
 sect. 3.
 n. 37.

Tridēt
Sess. 6.
Can. 4.

num Concilium Sess. 6. Can. 4.
ergo, &c.

Eodem modo posset argu-
mentum retorqueri, tribuendo
Angelo bono omnia creaturæ
opera bona, & non ipsi creaturæ.
Si enim opera mala tribuuntur
Diabolo, cur opera bona non
posset Angelo sancto conscribi?
Si Diabolus violentiam infert ad
malum, cur non Angelus bonus
ad bonum? Sed ex hoc novus
error sequeretur, ut ex se liquet,
dum hæc opera bona tribueren-
tur creaturæ, & omnia in mun-
do confunderentur: ergo, &c.

Vid ab
Illustr.
Simac.
de Cat.
Instit.
Cap 37

Ad confirmationem argumen-
ti respondeo pro nunc, Decre-
tum Supremi Senatus Fidei (sal-
va semper ipsius Sacri Tribuna-
lis expositione) intelligi debere
de illis Energumenis permanen-
tibus, qui regulariter turbati
sunt, & verè comprobatum est
existere Diabolum in eis, saltem
per vnum ex tribus signis super-
naturalibus nuper relatis in res-
pensione ad hoc argumentum.
Non autem videtur intelligen-
dum Decretum de illis Obsessis,
qui solum opinativè tales existi-
mantur, regulariterque sunt libe-
ri, & solum quando malè ope-
rantur, judicantur Obsessi, con-
temnunt Prælatos, perturbant
pacem, verbis offendunt & fa-
ctis turpitudines efficiunt, &
hæc & alia pejora, vel æquè ma-
la, quæ videntur in eis, non re-
pugnant à malitia, vel à passio-
ne inordinata procedere, con-

sequenterque non convincunt
Obsessionem in subjecto, neque
probant à violentia Diaboli pro-
venire.

Ad illationem ex argumenti
confirmatione deductam, nimi-
rum, operationes Obsessorum
non cadere sub humano iudicio
respondeo esse falsam. 1. Quo-
niam de facto Sanctus Pontifex
Innocentius Vndeimus iudica-
vit propositionem 41. Molinosi,
quæ loquitur de operationibus
Obsessorum. 2. Quoniam San-
ctum Inquisitionis Tribunal, si
opus in exteriori est contra Fi-
dem, iudicat de illo, & creaturæ
tribuit tale opus, usquedum
apertè probetur positivè, non
fuisse factum à creatura, sed à
Diabolo. 3. Quoniam neque in
confessione Sacramentali posse-
mus credere, quæ talis creatura
confiteretur, eo quod Diabolus
posset in ea dissimulatè loqui.
Nonnulli Directores credere vo-
lunt omnia, quæ dicit Obsessus,
vel Obsessa, & nolunt à Sacro
Tribunali credi, imò neque exa-
minari. Caveant à propositione
68. Molinosi. Vid. solut. ad arg.
38.

Arg. 16. Damnata Molinosi
propositio 41. dicit: Deus per-
mittit & vult, quod Dæmon in-
ferat violentiam corporibus ob-
sessorum, faciatque illos patrare
actus carnales, &c. sed damnatio
talis propositionis subsistit, licet
exponamus, solum esse damna-
tum quod Deus vult, & non esse
dam-

Prop.
68.
Molin

Molin
prop.
41.
& seq.

damnatum quod Deus permittit:
ergo, &c. Resp. vtrumque repe-
ri in propositione damnata, &
quod Deus permittit Diabolo ta-
les violentias obscenas facere
in personis Sanctis; & etiam
quod Deus vult: & vtrumque
mihi videtur esse damnatum,
salva semper expositione ipsius
Sanctæ sedis, ejusque Tribuna-
lium. Permissiones hujusmodi
solum opinor esse concessas,
prout dicitur in solut. ad arg. 9.
Verba in dubio sunt intelligenda
simpliciter, & non secundum
quid, prout asserit Barbosa, tract.
var. Axiom. 218. num. 23.

Arg. 17. Valde sunt diversæ
propositiones damnatæ Molinosi
à propositionibus quinque supra
relatis: ergo, &c. Prob. ant. Infe-
lix Hæresiarcha Molinos adstrue-
bat violentias turpes suarum pro-
positionum, etiam in non arrepti-
titiis: deinde nullam postulabat
resistentiam in creaturis patien-
tibus; sed hæc non asseruntur in
aliis quinque propositionibus, de
quibus agimus: ergo valde di-
versæ sunt. Resp. in assignatis
conditionibus differre, in aliis
autem conditionibus convenire.
Implicatiam posuit Molinosus
adstruendo simul in obsessis vio-
lentiam manum à Diabolo, &
carentiam arreptionis, ut jam
supra notavimus.

Præterea, si solum prohibe-
rentur obscenæ Diaboli violenti-
æ, quatenus ab humana volun-
tate non repelluntur in eo quod

resistere valet creatura, nihil
damnaretur, quod antea læpse-
pius non erat damnatum; siqui-
dem non resistere tentationi,
peccatum erat semper. Resfiste
Diabolo, & fugiet à vobis, ait
Jacobus. Aliquid ergo præter
hoc, est in propositione damna-
tum.

Arg. 18. Ex Cardin. Toletio,
in Comment. ad cap. 4. Lucæ,
vbi ait: Solent etiam Dæmones
intrantes in humana corpora,
eorum membris (etiam invitis
ipsis hominibus) abuti ad ope-
randum: unde actiones tales non
ipsis hominibus, sed Dæmoni-
bus, quibus agitantur, adscribun-
tur: ergo Diaboli violentiæ ad
actiones pravæ innegabiles sunt.

Resp. nihil argumentum pro-
bare, quoniam absolutè non
negamus Diaboli violentias, sed
eas, de quibus loquuntur relatæ
quinque propositiones in con-
creto.

Arg. 19. ex S. Joanne Chry-
sostomo, in tribus Libris de Pro-
videntia, quos scripsit ut solaretur
Stagyrium Monachum San-
ctum, & Obsessum vbi ait: Dæ-
mones vexant sanctiores homines
aliquando, quos dum peccatis vo-
lantarentur, nulla adversitas mo-
lestavit: ergo, &c. Resp. intelli-
gi de vexationibus pœnalibus, qui-
bus exercitantur animæ iustæ.

Arg. 20. ex Cassiano, Collat.
28. vbi ait, Deum permittit Ob-
sessionses, ut humilientur, & pur-
gentur animæ Sanctæ: ergo, &c.
Bbbb2 Resp.

Fac. 3
v. 7.

Cardin
Toletio
in Luc.

S. Ioan
Cbr.
sol. de
Prov.

Cassian
Collat.

Resp. similiter sicut ad arg. 19. Sic etiam videtur exponendus Abbas Tritemius in qq. lib. 8. q. 5. cit. à Torreblanca in Pract. Jur. fol. 312. cap. 4. num. 32. vbi tenet, Deum permittere Obfessiones in virtuosis, ad majus bonum, & meritum eorum. Idem docent P. Thyraus, tract. de Dæmon. 2. p. cap. 32. n. 89. & R. Raphael de la Torre 2. 2. q. 90. d. 2. n. 8. & Silvester lib. 2. mor. cap. 8. punct. 5. dicentes, Deum permittere Obfessiones, vt homines Iustos exerceat, atque probet, & ita alijs sint exemplum patientiæ, humilitatis, &c.

P. Mar
del Rio,
Disquis
Magis.

Arg. 21. ex P. Martino del Rio, lib. 2. disquis. magic. q. 24. vbi ait: Potest Dæmon, si Deus non prohibet, in actum aliquem impellere hominem, qui ex suo genere, si adesset consensus liber, peccatum foret: ergo, &c. Resp. totum esse verum. Restat autem probandum, Deum non prohibere, vel Deum Diabolo permittere tales violentias in animabus Sanctis, prout in concreto relatarum quinque propositionum asseveratur.

Annal.
Bened.

Arg. 22. ex Annalibus Benedicti, à Doct. Petro de Ciria conscriptis, vbi in Vita Sanctæ Adelaydæ, quæ, (vt ibi dicitur) fuit Vxor Imperatoris Henrici Quarti, refertur, consentiente Viro suo turpiter fuisse cognitam, & oppressam à multis hominibus, ipsa renuente: & his non obstantibus, Summum Pon-

tificem Urbanum Secundum decrevisse in Concilio Placentino, Sanctam Adelaydam non peccasse, &c. ergo alienum non est à pietate Divina, tales violentias turpes permittere Deum in personis iustis & Sanctis.

Confirm. argum. ex ipsis Annalibus, in Vita Sanctæ Margaritæ Virginis & Martyris, Provinciæ Bravantix, die 2. Septembris, vbi dicitur, fuisse turpiter violatam, & crudeliter à tyrannis ipsis violatoribus occisam: ergo relata Dei permissiones ad violentias turpes, innegabiles etiam redduntur in personis Sanctis.

Ex eisd
Annal.

Ad arg. resp. 1. Henricum Quartum non regnasse tempore Urbani Secundi, nec tempore Concilij Placentini. Quoniam Urbanus Secundus Pontificatum gessit ab anno 1088. vsque ad annum 1099. & anno 1095. celebratum est Concilium Placentinum: Henricus autem Quartus cepit imperare ab anno 1106. Vnde post mortem Urbani Secundi transferunt quindecim anni, & post Concilium Placentinum fluxerunt actio, antequam Henricus Quartus accepisset Imperium, vt testatur in Annalibus Ecclesiasticis Cardinalis Baronius.

Concil.
Plac.

Imperatrix insuper Adelayda; quæ aliàs Præxedes nominatur ab alijs, non fuit Vxor Henrici Quarti, sed Henrici Tertij, vt expressè tenet ipse Baronius, ad

Baron.
ad an.

1093.
ann.

ann. 1093. vbi refert injurias Imperatrici factas ab iniquo marito: & ann. 1094. refert accessum ipsius Imperatricis ad Synodum Constantiensem: & ann. 1095. ad synodum Placentinam, vbi peccatum suum Imperatrix spontè & publicè confiteri non erubuit, ait Baronius, vnde & de pœnitentia iniungenda Pontifex cum Sancta Synodo illam clementer absoluit, quoniam invitam pertulisse pro certo cognoverit. Regina verò ingressa monasterium, facta est Abbatisa, vt quidam dicunt. Vid. Baron. ad ann. 1093. tom. 11. pag. 641. lit. B. & C. & 644. lit. E. & 653. lit. E.

Vit.
Adel.

Nunc igitur Historia Adelaydæ sic reperta, respondemus in primis, nunquam Adelaydam à Baronio vocari Sanctam in his quæ legimus, nec eam invenimus ad Ecclesia canonizatam, nec in Romano Martyrologio nominatam. Verum nec ob id negamus, potuisse Sanctam esse, quoniam etsi antea peccasset, potuit agere pœnitentiam, & Sanctam vsque ad finem ducere vitam.

Supra
Rat. 3.

Resp. 2. ad argum. concessis omnibus, nimirum, esse Sanctam, & turpes pertulisse violentias: magnum verò fore discrimen inter permissiones Dei concessas hominibus viatoribus, & concedendas Dæmonibus, vt supra notavimus in solutione ad instantiam & confirmationem instantiæ cõtra rationem primam:

vbi distinguimus inter violentiam illatam à Diabolo, & ab homine: quoniam homo totaliter libet est ad quæcumque velit, Diabolus autem ligatus est, vt ait Augustinos supra relatus in *Ratione tertia*.

Ad idem me legisse recordor, quod licet Altissimus liberaverit ab incendio, feris, alijsque immanibus tormentis nonnullos insignes Christi Martyres, non tamen liberavit eos ab ictu gladij tyranni percutientis eos, ne jura violaret integræ libertatis humanæ moventis gladiam. In permissionibus verò Diabolo concessis, ligatam novimus ipsius Diaboli potentiam, vt legimus in Breviario Romano, die 26. Septembris, Diabolum dixisse Sancto Cypriano, primum Mago, postea Martyre: *Nullam sibi artem processuram adversus eos, qui verè Christum colerent*: ergo Diabolo non permittitur contra personas Sanctas, quidquid ipse vellet, & facere posset cum permissione divina.

Brev.
Rom.
die 26
Septem.

Ad confirm. arg. resp. similiter neg. paritatem de permissionibus Dei cum hominibus viatoribus, ad permissiones ipsius Dei cum Diabolo ligato, qui certè omnia confunderet, & immensa mala faceret, si aliàs daretur ei facere quæcumque vellet: *Nisi Diabolus potestate mea refranaretur* (ait Dominus Sanctæ Birgittæ) *etiam movere posset montes*. Non est super terram

S. Bir.
lib.
c. 60.

ram potestas, quæ comparatur ei. Ipse est Rex super omnes filios superbiæ: & superbia ejus ascendit semper.

Arg. 23. ex M. Joanne à Sancto Thoma, in exposit. Doctrinæ Christianæ, 2. part. 6. præcepto, ubi quærit: An peccatum sit, violentè opprimi à Dæmone? Ad quod respondet negativè, si omnimoda violentia exequatur: ergo tenet, Deum p̄mittere tales impuras violentias resistente, & non consentiente creatura: ergo & in personis Sanctis & perfectis. Resp. sicut ad arg. 9.

Arg. 24. ex M. Raymundo Lumbier, super dub. an licitum sit abortum procurare? Consultationem & dictamen affert hominum Theologorum, qui super Mōiali Serva Dei violentè à Dæmone oppressa, prægnata videbatur juxta Physicorum judicium: ergo, &c. Resp. nihil hæc & similia probare. I. propter solut. ad arg. 9. Secundo, quoniam regulariter omnia hæc in imaginatione contingunt, & solum apparenter videntur, ut infra dicemus.

Arg. 25. ex Vita S. Hilarionis, à S. Hieronimo scripta, & à Thyrao citata, 2. part. de Dæmone, cap. 29. n. 9. ubi ait, in ea referri verba & actiones turpes Ancillæ cujusdam virtuosæ, per violentiam Diaboli agitata: & interrogante Diabolum Sancto: *Quare ausus es ingredi puellam Dei?* Respondit: *Vt serva-*

rem eam Virginem: ergo violentia turpes Dæmonis profuit animabus Sanctis.

Resp. Thyraum nihil in loco citato dicere de allata Virginis historia. Verum, desiderio inveniendi veritatem legi Vitam S. Hilarionis, à S. Hieronimo scriptam, & historiam invento toto coelo contrariam. In primis nihil in ea de actionibus, nec de verbis turpibus refertur, Deinde nec ancilla virtuosæ nominatur, quinimo amore cujusdam juvenis capta. Tertio, verum est, quod cum Sanctus Hilarion interrogaret Diabolum: *Dic, quare ausus es ingredi puellam Dei?* Respondit Diabolus: *Vt servarem eam Virginem.* At Hilarion dixit: *Tu servares, proditor castitatis? Cur non potius in eum, qui te mittebat es ingressus?* Et Diabolus respondit: *Vt quid intrarem in eum, qui habebat collegam meum amoris Dæmonem?* Et statim sequitur in Historia: *Noluit autem Sanctus antequam purgaret Virginem, signa jubere perquiri: ne aut solitis incantationibus recessisse Dæmon videretur: & reddita sanitate, increpuit Virginem, cur fecisset talia, per que Dæmon intrare potuisset in eam.*

Hoc argumentum in facie mihi visum est magni ponderis, si verum foret quidquid dicitur in eo; ideoque non quievi, vsquedum in Sancto Hieronymo legi veritatem Historiæ, sic ar-

Vit. S.
Hilar.

S. Hier.
in edit.
colonia.

argumenti contrariam sicut visum est. Sæpè id ipsum mihi contingit in hac subiecta materia, dum argumenta contrariorum eviscerare laboro. Videatur S. Hieronymus in editione Colonia Agrippinæ, anno 1616. tom. 1. in Vita S. Hilarionis, pag. 94. col. 2. circa finem, & col. sequent.

Arg. 26. ex Cardin. Tolet, in cap. 4. Lucæ, annot. 54. dicente: Dæmon intra hominum corpora existens, sua virtute ea movet, & eorum membra, ut dicit Augustinus, lib. 19. de Civit. Dei, cap. 4. & lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 82. multa autem facit erga talia corpora, sæpè lingua vitur ad dicendum multa, & maledicendum: sæpè etiam membris genitalibus abutitur ad actus obscenos, aliaque similia facit, etiam invitis hominibus quos vexat: ergo, &c.

Resp. id verè reperiri apud Tolet. cit. falsum tamen est apud S. Augustinum inveniri in locis citatis. Vidi quidem oculis meis Toleti doctrinam, & ea quæ dicit Sanctus Augustinus legi de verbo ad verbum: & valde miror, quod ad tales spurcicias citetur tam Magnus Ecclesiæ Doctor. Lib. 19. de Civit. Dei, cap. 4. de miseris agit vitæ mortalis, & ait: *Quid dicam de his, qui Dæmonum patiuntur incursum? Vbi habent absconditam vel obrutam intelligentiam suam, quando secundum suam voluntatem, & anima eorum & corpore malignus*

Cardin.
Tolet.
us in
Luc.

S. Aug.
lib. 19.
de Civ.

vitur spiritus? Vide quantum hoc distet à verbis argumenti, & à fine illius.

Idem Magn. August. lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 82. interrogat: Dæmones quomodo occupent homines? Et respondet in corpore: *Dæmones per energeticam operationem, non credimus substantialiter illabi anime, sed applicatione & oppressione uniri. Illabi autem menti, illi soli possibile est, qui creavit.* Vide quantum hoc differat à Doctrina in argumento relata.

Arg. 27. Ex ipso Cardin. Tolet. in cap. 11. Lucæ, annot. 59. ubi clarius explicat vexationem Dæmonis per exercitium, ibi: *Altero modo corporaliter tantum, &c.* quia non semper, qui sic à Dæmone vexantur, in peccato sunt, ut probat Augustinus, lib. 21. de Civit. Dei, cap. 14. & lib. 22. cap. 22. ergo, &c.

Resp. similiter, nihil Sanctum Augustinum dicere in locis citatis, quod profit arguentibus, Certè dum Augustinum audio nominatum in favorem oppositæ sententiæ, sicut gradum, & transire non audeo, vsquedum, quæ dixit, oculis meis recognoscere. Lib. 21. de Civitate Dei, cap. 14. agit de peccatis temporalibus istius vitæ mortalis, & inquit: *Nonnulli etiam incursum spirituum malignorum aliquando patiuntur.* Hoc verum est. Et lib. 22. cap. 22. de miseris, quibus humanum genus obnoxium est cir-

S. Aug.
de Ecl.
dogma

Tolet.
in 11.
Lucæ

S. Aug.
lib. 21.
de Civ.
Dei.

ca medium ait: *Contra millefor-
mes Dæmonum incurfus, quis inno-
centiã suã fudit, quandoquidã ne
quis fideret, etiam parvulos bap-
tizatos, quibus certè nihil est inno-
centius, aliquando sic vexant? &c.*
Videatur in vtroque loco San-
ctissimus Doctor, & nihil in eis
de Violentiis turpibus inveni-
tur, sed de vexationibus corpo-
ralibus, de quibus supra diximus
in solut. ad arg. 9. & 10.

Arg. 28. ex Cassiano, Collat. 7.
cap. 27. vbi refert, Obsessionem
Abbatis Moyfis, quem vocat *Vi-
rum incomparabilem*, & ait, Ob-
sersionem pertulisse, ad purgatio-
nem spiritualem: ergo, &c. Resp.
Obsersionem fuisse solum pœna-
lem, & vexationem corpoream
tormentorum in corpore sine
violentijs turpibus, de quibus est
disputatio nostra, nam de alia
non dubitamus. Videatur solu-
tio ad Arg. 20.

Arg. 29. ex Menochio, part. 3.
cap. 67. ex Malleo malefic. &
alijs, quos citat Gastaldus, tom.
3. de Potest. Ang. dist. 7. q. 1.
quæstiunc. & art. 6. vbi resolvit,
certam esse materiam Obsersio-
num; ibi: *Sit 1. Conclusio: Ali-
quando quis possidetur à Dæmone
pro maiore suo merito. Et hoc
probat ex Dialogis S. Severi, &
Gersonis, tract. de error. circa
artem magicam, exemplo cœci
nati, Ioan. 9. & confirmat
Melleus. ex Angel. Doct. & Au-
gustino, lib. 21. de Civitate Dei,
cap. 28. & S. Hieronymo, in*

Epist. ad Paulam de dormitione
Cœlesti, & ex Vita S. Palladij,
S. Partenij, & alijs Historijs
Ecclesiasticis, vt homines iusti
exerceantur: ergo, &c.

Resp. sicut ad arg. 20. & 28.
Si autem Gastaldus, vel alij dixe-
rint amplius, corrigendi viden-
tur cum damnatis Molinosi pro-
positionibus, vt infra dicemus.
Sanctus Augustinus in lib. 21. de
Civit. Dei, non habet nisi 27. ca-
pita, iuxta editionem Parisien-
sem ann. 1613. quam præ oculis
habeo.

Arg. 30. ex Gastaldo, tom. 3.
de Potest. Angelica, dist. 7. vbi
ait, Cardinalem Toletum resol-
vere, multoties Dæmoniacos
cogi ad fornicationem, motis à
Dæmone instrumentis, & appli-
catis, sicut dicit Augustinus, lib.
15. de Civit. Dei, cap. 24. ergo,
&c. Resp. S. Augustinum, lib. 15.
de Civit. Dei, cap. 24. quod bre-
vissimum est, nihil dicere de ta-
li violentia diabolica, imò ibi
nec verbum loqui de Diabolo.
Circa Gastaldum, & Toletum,
videantur solutiones anteceden-
tium argumentorum.

Arg. 31. ex Cardin. Lauræa,
in Opusc. 6. cap. 5. vbi ait, par-
tem sensitivam hominis purgari
Dæmonis persecutione, ibi: *Est
adèd vehemens, ac periculosa hæc
purgatio, vt plures incipientes ab
incepto desiciant, putantes, se in
suorum defectuum pœnam à Deo
esse derelictos: ergo, &c.* Resp. non
loqui de violentijs Diaboli, de
qui-

S. Hier.
in Epist.

Inf. ad
arg. 44.

Gastald.
arg.

Cardin
Laur.

quibus disputamus, sed de alijs
innumeris Dæmonum persecu-
tionibus: & hoc ita certum est,
quod cum ego legerem præcita-
tum Opusculum cum reflexione
circa subjectam violentiarum
Diaboli materiam, nec verbum
inveni ad contrariorum falci-
mentum.

Arg. 32. ex B. Ioan. à Cruce,
lib. 1. Noctis obscuræ, vbi ait,
quod ad mysticam sensus purga-
tionem, datur hominibus spiritus
blasphemie, lascivie, & scrupu-
lorum: ergo, &c. Resp. non lo-
qui de operibus malis, sed de
tentationibus, & spiritibus malis
tentantibus ad opera mala, quod
longè distat à violentijs.

Arg. 33. ex Illustrissimo An-
gelo Manrique, in Notis ad Vi-
tam D. Maria à Vela (*vulgò la
Muger fuerte*) dud. 4. vbi ait, esse
communem Theologorum sen-
tentiam, à SS. PP. Hieronymo
& Augustino desumptam, mul-
toties Deum Diabolo permitte-
re, quod ingrediatur in corpora
Servorum suorum, vt ex eo cref-
cant in perfectione, & augeantur
eorum merita: ergo, &c. Resp.
sicut ad argum. 19. 20. & 28.

Argum. 34. ex ipso Manrique
nuper citato, qui refert; Saa-
ctum Abbatem Silicem pertu-
lisse Dæmonis obsersionem de-
cem diebus ante mortem illius;
qua propter S. Abbas longævus
improperabat Diabolo, dicens:
*Ad vesperum venisti miser: hoc
magnum non est: ostendisti miseri-*

mè imbecillitatem tuam, &c. er-
go, &c. Resp. sicut ad argum.
antecedens, intelligi de obses-
sione pœnali, non de violentijs,
vt ex se liquet.

Arg. 35. ex S. Eustochia Vir-
gine Patavina, obsessa sive pos-
sessa à nativitate, prout refert
P. Martinus del Rio, apud Man-
rique, vbi supra: ergo, &c. Resp.
ex S. Augustino sicut ad arg. 27.
Sic etiam respondetur circa Re-
ligiosam obsessam, quam refert
S. Greg. lib. 1. Dialog. cap. 4.
& circa 24. Moniales obsessas
Conventus Gallie, quæ in obser-
vantia iusta vixerunt, vt videri
potest apud Illustriss. Manrique,
supra cit. Consimiliter resp. de
Illustri Matrona, quæ sine ante-
cedente culpa, vixit obsessa, de
qua loquitur S. Gregor. lib. 1.
Dial. cap. 9. & de Religioso ob-
sesso, quoniam in Oratione se
distraxit, prout legitur in Vita
S. Bernardi Abbatis, lib. 2. c. 204
& de muliere pœnitente, Bene-
dicta nominata, Diabolo obses-
senti tradita, prout refertur in
Vita Cherubici Magni Patris
mei Dominici, à Vincentio Ius-
tiniano conscripta.

Arg. 36. Innegabiles sunt
Diaboli obsersiones, vt supra
vidimus, ita vt hæretici ad ne-
gandam Ecclesiæ potestatem ad
exorcismos, negaverint obsessos
& possessos; vt tener Torre-
blanca, in Pract. Iur. lib. 3. cap.
8. num. 1. & etiam sine male-
ficio, vt docet ipse Torreblanca

S. Eust.
Vir.

S. Greg.
in Dial.

Torreb.
in Pract.

varijs exemplaribus, eod. tom. lib. 12. cap. 4. à num. 2. & in super, nonnullos Sanctos fuisse sic obsessos, asserit Cardin. Lauræa, Opusc. 6 cap. 5. fol. 359. ex Vitis Patrum. Præterea, fore quid valdè distinctum *Circumfessionem, Obsessionem, & Possessionem*, sicut in expugnatione Civitatis distinguuntur *Bloqueo, Sitio, y entrada de las milicias*, explicant Torreblanca, lib. 3. Pract. Jur. Spirit. lib. 3. cap. 8. & Alapide, in cap. 23. Lucæ, sup. illud Psalm. 21. *Tauri pingues obsederunt me*; sed in expugnatione Urbium non solum intercedunt suasiones, & allicientia, sed etiam violentia: ergo, &c.

Resp. concedendo totum argumentum, præter consequentiam & paritatem. Non negamus Diaboli Obsessiones, etiam in personis innocentibus & Sanctis absque maleficio; negamus autem Deum permittere ad elevandas animas, easque transformandas & sibi mysticè unendas, Diabolum in eis causare violentias turpes & obscenas, ipsis advertentibus & nolentibus, & absque offuscatione mentis, sicut in relatis quinque propositionibus continetur. Disparitas inter milites expugnantes Urbem, & Diabolum obsidentem animam, notissima est ex solut. ad arg. 21.

Argum. 37. ex S. Augustino, lib. 15. de Civit. Dei, cap. 24. à Gastaldo citato, dist. 7. quæst.

tiunc. vnica, vbi ait, *Dæmones incubos sapè improbos extitisse mulieribus*. Et de quadam Moniali produnt, quod pluribus annis a Dæmone incubo nolens patiebatur. Et Ven. Beda sup. cap. 8. Lucæ refert exemplum alterius Monialis virtuosæ, quæ idipsum patiebatur. Et P. Thyraus, 1. part. de loc. infest. c. 19. inter magnos animarum labores adstruit violentam Dæmoniorum persecutionem ad turpitudines patrandas, & alia ex Casario superaddit exemplaria. Et Gastaldus de Potest. Ang. dist. 4. quæst. 1. art. 5. cum Silvestro resolvit, *Dæmones cum hominibus more sodomitico pertractare*: ergo, &c. Imò Gastaldus, tom. 2. de Potest. Ang. fol. 127. col. 1. num. 2. referens Niderium in suo Formicario subinfert, quod si Diabolus consentiente muliere valet exercere concubitum, non est ratio, cur ipsa dissentiente non possit: ergo, &c.

Resp. in primis, S. Augustinum loco citato nihil dicere de Dæmonibus incubis, imò nec Diabolum nominare in toto capitulo, vt jam supra notavimus in solut. ad arg. 30. Editio mihi est Parisijs, anno 1613. Forsam in alia editione dicet, quod obijciatur in argumento, ad quod respondendum est sicut ad arg. 6 & 9. sic etiam resp. ad alia, quæ in argumento obijciuntur, dum de violentijs turpibus loquatur

in executione. Ad exemplar V. Bedæ resp. similiter. Ad aliud autem ex Thyrao resp. loqui de tentationibus importunis. Ad alterum ex Silvestro, resp. sicut ad arg. 6. & 9. Ad vltimum illatum ex Niderio resp. nullam esse paritatem, prout sapè diximus de Diabolo ligato. Possit autem, nisi frænaretur a Deo.

Resol.
inPra.

Arg. 38. Innegabilis est in obsessis violentia linguæ, itaut Diabolus loquatur per linguam obsessi contra voluntatem creaturæ: ergo à simili concedendæ sunt violentiæ turpes à Diabolo contra voluntatem Obsessi. Prob. ant. ex Simancas de Cathol. Instit. cap. 37. vbi cum Juristis affirmat, testimonium Energumini non esse sufficiens indicium ad procedendum contra quemquam. Vide Castro Palao, 1. part. tract. 4. disp. 8. punct. 16. Et Farinac. de Hæres. q. 85. refert Supremæ Inquis. decretum, ne recipiatur testimonium à sagis & maleficis. Et ex Rosel. in Prax. scrup. cap. 28. vbi refert horrendas obsessorum blasphemias contra Deum & Sanctos eius: imò & supposititias eorum Diabolo traditiones absque cooperatione voluntatis: & audire seiplos loquētes, & iatus dicentes: Ego Deum nego, Dæmoni me trado, &c. Et Author Vitæ Dom. Mariæ de Vela, fol. 166. ait, quod Diabolus causat in Obsessis impedimenta linguæ ad exercitium Confessionis.

Et fol. 168. & 3. part. cap. 17. inquit, quod Diabolus violentat Obsessi linguam ad proferendum blasphemias, & immunditias, etiam advertente Obsesso, & in suis sensibus conservato: ergo, &c. Hanc ipsam advertentiam concedere videtur ipsa D. Maria Vela, fol. 160. col. 1. & 2. cap. 4. 2. part.

Confirm. 1. arg. ex violentia Dæmonis in Obsessis ad alios actus ex se malos. Gastaldus, tom. 2. de Potest. Ang. fol. 529. refert. de mulieribus obsessis cujusdam Villæ de Bohemia, quod nocte vna occiderunt Patres suos, filios, & proprios Maritos. Idipsum docet Thyraus 1. part. cap. 9. vbi ait, quod sapè Diabolus in Obsessis facit, vt interficiant semetipsos. Ad id facit, quod Monachus Stagyrius laqueos se mittebat, & Evangelij Obsessus se projiciebat in igne. Et S. Teresa à Jesu, cap. 31. Vit. inquit, quod Diabolus, quin ipsa se resistere posset, conquassabat eam in corpore, brachijs, & capite: ergo, &c.

Confirm. 2. arg. ex violentijs Diaboli in Obsessis erga Sanctas Imagines, imò & contra Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Ius Canonicum. cap. *Communiter. cap. Clerici, & cap. Vsq. que.* Et Decretum Concilij Toletani Secundi, cap. 13. prohibet, ne Sacerdotes Obsessi & energumini administrent Fidelibus Sacrosanctam Eucharistiã vsque-

Coec 2 dum

Gastaldus
de Potest.
Ang.
exempl.

Ius Canonicum
& Concilij
Toletani.